



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Modi alii instituendi Vicarios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

periculosa, & grauius impedimenta, quæ in prædicto negotio vobis emerferint, dilecto filio nostro I. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, quem eidem præfecimus negotio, significare curatis. Super alijs vero impedimentis quibuslibet, quæ siue ex defectu sociorum, siue alias ex quacunque causa vobis in ipso negotio emergere fortè contigerit, & personaliter si opus fuerit ad Cardinalem recurratis eundem, & per litteras vestras seu nuntios securè ipsi Cardinali omnia intimare curetis: vt nos per eum sufficienter super præmissis instructi, contra impedimenta huiusmodi prouideamus de remedijs opportunis, hæc ibi.

Forma alia secunda instituendi Vicarium generalem in tota prouincia.

Rater N. ordinis, &c. Venerabili, & nobis in Christo dilecto patri fratri talis ordinis, sacre Theologie magistro. Vel sic: Honorabili domino prouido, & discreto tali, decretorum doctore, canonico in tali Ecclesia cathedrali: Salutem in auctore, & conseruatore: &c.

INTER Alia honesta obsequia atq; sancta, quæ grata existunt plurimum altissimo creatori prout testimonijs veridicis comprobatur, est animarum zelus, peccatorum salus, fidei orthodoxæ augmentum, prauitatis hæreticæ exterminium: ac pro fidei catholicæ, & orthodoxæ defensione nocte, & die continuè infudare. hinc est quod nos frater N. Inquisitor præfatus, cui ex iniuncto nobis officio a Sanctissimo domino nostro Papa peragere hæc incubuit, non valentes huiusmodi incubere, seu intendere de præsentibus, cum habeamus ad Romanam curiam accedere, pro quibusdam ibi negotijs sanctæ fidei exequendis: Vos venerabilem patrem, seu dominum antefatum, de cuius fidei integritate, vitæ puritate, disciplina sufficientia, morû modestia, atq; in cunctis agendis prudentia circumspècta, synceram in Domino fidem gerimus, & probatam, Vicarium nostrum, & commissarium, in omnibus, & singulis ciuitatibus, territorijs, atque locis iurisdictioni nostre subiectis, tenore præsentium instituimus generalem; committentes vobis, quatenus auctoritate nostra, immo verius Apostolica, in omnibus, & singulis fidei negotijs, quæ obuenient, & in omnibus illis dependentibus, emergentibus, & connextis libere etiam vsque ad sententiam diffinitiuam includiue procedere valeatis: super quibus omnibus & singulis, committimus vobis vniuersaliter ac plenarie vices nostras, quousque ad nos duxerimus reuocandas. In quorum omnium, & singulorum testimonium, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum, &c.

Poterit etiam ipse Inquisitor, si voluerit, face-
re huiusmodi commissiones non per litteras suas, sui sigilli munimine roboratas, sed per publicum instrumentum, signo notarij clausum: In quo instrumento, vltra signum, si voluerit, notarij, poterit etiam facere apponi sigillum suum in pendentem, & per consequens potest Inquisitor commissiones huiusmodi facere tripliciter. Primo, per litteras suas, eius sigilli munimine roboratas. Secundo, per publicum instrumentum, signo notarij signatum. Tertio, per publicum instrumentum, signo notarij consignatum, & appensione sigilli Inquisitoris communitum.

Aduertendum tamen, quod Commissarij debent esse multum circumspècti, & cauti, & præsertim qui non sunt practici, vt de capite suo non procedant, potissimè in arduis: sed habeant sibi aliquem bonum, & practicum aduocatû, cuius consilium in agendis frequenter requirant, & semper faciant posse suum, vt si commodè possint, maxime in dubijs, & arduis, quod ea quæ agunt, Inquisitori studeant intimare, & de assensu illius procedere, & absque eius consilio nulla tenus negotijs finem dare, alias possent leuiter oberrare, & tunc Inquisitor talem errorem non posset leuiter reparare, & esset sibi magis, quam commissarijs imputandum, & possent processus per Romanam curiam reuocari in opprobrium, & iacturam officij inquisitionis, & verecundia, & ruborem Inquisitoris, quæ summopere in tam magno negotio sunt cauenda.

De sermone a generali habendo ab Inquisitore.

DVm prædicta taliter peraguntur, seu disponuntur, commissarijs iam institutis, vel non institutis, semper tamen facta fide ipsi ordinario, in cuius diocesi Inquisitor disponit suum officium exequi, de sua potestate, & delegatione sibi facta a domino nostro Papa, indicat sermonem generalem, non pro aliquo festo solemnem, ne officium festi impediatur, & populus a suis Ecclesijs, pro tunc parochialibus, detrahatur, sed pro aliqua die Dominica communi, quæ non sit Quadragesima, vel Aduentus, mittendo ad clericos curatos omnium Ecclesiarum parochialium illius loci, vel ciuitatis, in quo sermonem decreuit facere generalem, litteras tenoris sequentis.

Forma litterarum inducendi sermonem generalem.

Rater N. ordinis Prædicatorum, &c. Dilecto tali, talis Ecclesiæ, ciuitatis talis, vel loci: Salutem, & mandatis nostris, immo verius Apostolicis, prompto animo obedire.

QVIA pp iniunctum nobis officium Inquisitionis hæreticæ prauitatis, intendimus Dominica die tali, & talis mensis, in tali Ecclesia cathedrali prædicare vniuerso clero, & populo congregato, ac proponere aliqua super negotijs fidei, & de fide: a pro

45
Modi alij instituendi vicarijs.

46
Aduertenda a commissarijs, & vicarijs inquisitionis.

Inquisitoris uocare potest populum, & clerum.